

DE PHILOSOPHIA CHEMICA
ca ad Meditativam comparata.

APRIMO ut incipiamus, Chaos spagiricum, est formarum particularium, & materiarum suarum cum universali forma suaque materia confusio. Quod quidem variis consideratur modis. Pro confusione intellectus hominum non intelligentium hanc artem. Secundo, pro confusione partium istud extremum constituentium. Tertio, pro confusione qua se habent confuse cum extremis media quæque, & successive unum ad alterum potentia, nec non unum ad omnia, quovis in quibusvis, & his in quolibet existentibus. Quarto, velut medium natura tenet inter elementa & elementata, non secus in hac arte medium existimatur artifex inter chaos, operationes, medicinam perfectam, & perfectissimam. Ex istis quatuor modis intelligi facile potest, medicinas dictas de sua potentia in actum deduci mediantibus materia, forma, cælo, & operationibus intermediis. Motu namque per artificem excitato, chaos transit ad secundum extremum, quod est medicina perfecta, & ista ad perfectissimam, juxta mediorum ordinem & dispositionem ad alterutrum. Ut rem acutius intelligatis, Chaos nostrum est universale quid, omnia quæ nos operamur in se concludens, à cujus ventre debet ingeniosus artifex elicere materiam suam, formam, cælum, & elementa, ut ex istis medicinas conficiat quæ dictæ sunt. Materia vero spagirica dicitur, prima & universalis materia, sive Mercurius ad vegetationem movens, & particularem formæ materiam primam extrahens à formante, & trib. modis consideratur. Primo quidem ut subiectum passivum, quod sub artificis excitatione per media requisita motum patitur: ex quorum omnium operationibus oritur cælum de sua materia. Secundo consideratur ut quodvis corpus ægrum, quod formam patitur medicinarum, ut res elementares formam vegetabilem. Tertio pro formantis materia, veluti materia prima subiecta cæli actionibus, nam aliter formæ vim obtinet, ut infra. Hac ratione cælum, quod subiectum sit illarum formarum actionibus, quibus in albam vel rubeam tincturam evadit, materiæ rationem etiam habere dici potest, quam dictas formas formantium, ad medicinas perfectam, vel perfectissimam actione sua movet, quod etiam infra latius audietur. Ex eo